





24

DISPUTATIO JURIS GENTIUM,
DE

~~24~~
Pa. 4. num. 18.

**JURE VICTORIÆ
DIVERSO à JURE BELLI,**

20

1685/3

Quam
*Consensu Magnif. Electorum Ordinis
in Illustri Academia Heidelbergensi,*

PRÆSIDE

DN. HENRICO COCCEJO,
JURISCONSULTO CELEBERRIMO,
SUMMI REGIMINIS STATUS ELECTORALIS PALA-
TINI CONSILIARIO, & IN ALMA HEIDELBERGENSI
DECRETAL. PANDECT. & JURIS GENT. P. P.
ORD. MERITISSIMO,

NUNC

SERENISSIMI ac POTENTISSIMI ELECTORIS BRAN-
DENBURGICI CONSILIARIO, FACULTATIS JURIDI-
CÆ ORDINARIO, & h. t. DECANO,

Ad D. Novembr. AN. O. R. MDCLXXXV.

H. L. Q. S.

Placido Eruditorum Examine submisit

JOHANNES WEHLING,
Grethâ Erius Orientalis.

Editio altera.

Francofurti ad Viadrum, Literis CHRISTOPHORI ZEITLERI,
ANNO M DC XCIII.






MAGNIFICO, NOBILISSIMO, EXCELLEN-
TISSIMO ET AMPLISSIMO VIRO
AC DOMINO,

**DN. ULRICO
HUBERO,**

U. Jur. Doct. & Jurium quondam in
Franequerana Academia Antecessori Ce-
leberrimo, Postea per annos aliquos supremi FRI-
SIORUM Dicasterii, quod est Leowardiæ, Sena-
tori gravissimo, Nunc autem a quatuor iterum
annis Ex-Senatori, juxta ac Profesori in Celeber-
rima ista Academia Honorario, Juris-Consulto
consummatissimo, non ita pridem Præceptori de
me Meritissimo, Fautori meo Magno & quovis
observantiæ studio suspiciendo.



CON-



CONSULTISSIMO, EXCELLENTISSIMO,
CLARISSIMO, CELEBERRIMOQVE VIRO
AC DOMINO,

DN. HENRICO

COCCEJO,

Jurium Antecessori, Juris Canonici

Pandectarum & Juris Gent. Profesori in Peranti-
qua Academia Heidelbergensi Ordinario, Juris-
Consulto incomparabili, Regiminis Electoralis
Consiliario Gravissimo, Fautori atque Præceptori
singulariter honorando.

Nec non

AMPLISSIMO, CONSULTISSIMOQVE
VIRO AC DOMINO,

DN. JOHANNI

JACOBO WEHLING,

Prætori ac Quæstori Jenneltano Di-

gnissimo, Parenti optimo, omni cultu & Filiali
amore æternum prosequendo, venerando,

Hocce Exercitium Academicum

D. D. D.

Humillimus Servus & Filius

JOHANNES WEHLING.

(4.)



§. I.



Unquam summi Principes ac Heroës tantum sibi decus ac nomen ex Victoriis comparârunt, quantum ex Victoriarum clementia: semperque maximi Duces longè clariores fuere moderatè victoriâ utendo, quàm vincendo: id quod Romanorum gesta affatim testantur. At mirum videtur, quòd apud omnes ferè gentes ipsosque adeò Romanos, justitiæ bellicæ ad religionem usque servantissimos, illa invaluerit opinio, quòd Jure Victoriæ tantundem, imò plus, quàm Jure Belli liceat, & vincendi limites generositate Victoris magis, quàm justitiâ constituentur. Ita enim Pyrrhus apud Senecam *in Troad. vers. 331. & 333.*

Lex nulla capto parcit, aut pœnam impedit.

Quodcunque libuit facere Victori, licet.

Et, ne à feroci Juvene hæc temerè jactata existimes, ipse Agamemnon, cum quo rixabatur, id non negat, sed jus ipsum confessus pudorem saltem & honestatem obstare putat; atque inde sic respondet *vers. 332. & 334 ibid.*

Quod non vetat lex, hoc vetat fieri pudor.

Minimum decet libere, cui multum licet.

Eadem Ciceronis sententia videtur in *Orat. pro M. Marcell*

(5.)

Marcell. qua est 40. ubi Cæsarem victorem ita affatur: Cum ipsius Victoria conditione jure omnes occidissimus, clementia tua iudicio conservati sumus. Hinc, cum Metello Duce adeò sævè in captivos consuleretur, ut veneno se plerique interficerent; alii deditionem suam ad Pompejum absentem mitterent; ait Florus, quòd Metellus eò infestior in hostes **JUS VICTORIS** exercuerit: Lib. 3. Histor. cap. 7. eumque defendere contra Pompejum videtur Plutarch. in Pompejo. Ipse Camillus, & bellici juris scientià & bellorum peritià adeò insignis, eadem oratione, quâ meritò prædicabat; *Esse & belli, sicut pacis jura; justeque bella non minùs quàm fortiter se gerere didicisse*; statim subjungit: *Arma habemus non adversum eam aetatem, cui etiam captis urbibus parcitur: quasi plus juris sit in infantes captis quàm obsessis urbibus.* Liv. Histor. Lib. 5. cap. 27. Atque ita, ut inter tot alia hoc saltem illustre exemplum exhibeamus, Æneas adeò pietate celebris, Turnum victum, deditum ac supplicem, non modò interfecit; sed & ipse Turnus, apud Virgil. *Æneid. lib. 12. in fin.* hoc ipsi jus esse fatetur, &

Equidem merui, nec deprecor, inquit,

Ultere sorte tua.

Quin solenne id Romanis fuisse, ut hostium duces, deditos quoque ipso die triumphii occiderent, notat Grot. *de J. B. & P. Lib. 3. cap. 4. §. 12.*

§. 2. In hanc opinionem & morem traxisse gentes videtur 1. Quòd jus belli post victoriam quoque continuari, & jus victoriae sub jure belli comprehensum crediderunt. 2. Quòd placari ac honorari suorum manes putabant cædibus eorum, à quo occisi erant; quæ persuasio & Achillem & Æneam in talem

A 3

vindi-

(6.)

vindictam armavit, effecitque, ut Polyxena & Astyanax, Priami filia & ex Hectore nepos, pro inferiis Achilli inmolati fuerint. *Senec. in Troad. in Act. 2.* Et præcipue 3. quòd omnium propè gentium moribus cuique Domino privato competiit jus vitæ & necis in suos servos, ut traditur in §. *In potestate 1. Instit. de His qui sui vel. al. jur. l. 1. §. 1. ff. eod.* Cùm igitur bello capti omnes servi facti fuerint, necesario inferendum fuit, eos etiam post victoriam, ut servos, occidi, omniaque, quæ eorum fuerunt, vastari, dirui ac in prædam cedere potuisse. Hinc ergo natum inter gentes JUS illud VICTORIÆ, atrocius propè atque crudelius quàm ipsum JUS BELLII. At verò insignis iste juris gentium nævus atque abusus fuit, quem Antoninus demum & Christiani Impp. inter privatos quidem adeò sustulerunt, ut nec ultra modum sævire domino in servum licuerit; §. *ult. Inst. eod.* at in bellis furor ille nondum desæviit.

§. 3. Cùm igitur res inæstimabilis sit vita hominis, nec ullum majus naturâ nefas, quàm hoc sacrum, hoc carum DEO animal, quod divinam ejus imaginem gerit, lædi, nedum occidi; adeò ut hoc crimen primum à lapsu *πρωτοπλάσων*, & quidem cum execratione universæ terræ, ab ipso DEO vindicatum; *Genes. 4. v. 11.* primumque à diluvio sub horrenda comminatione sanguinis hominum ab omnibus terræ animalibus vindicandi, toti humano generi expressa sanctione divina interdictum; & unicum denique illud sit, cujus pœna dispensationi humanæ, & ut vocant, aggratiationi exempta est, Vid. *Numer. 35. vers. 31. & 33. Deuter. 19. vers. 13. Confer. Exod. 21. vers. 28. & seqq. & Num. 35. vers. 19. & seqq.* hinc non debent hominum

(7.)

minum cædes justæ aut licitæ videri, nisi quæ naturali divinove jure concessæ vel permisæ sunt: quæ permissio duobus tantum casibus apparet; in pœnam scil. delicti; & ex necessitate defensionis. Prius constat. Posterius quando aliter obtineat in bello, aliter post victoriam, & quousque distincta sint alia, utriusque jura, operæ precium videtur paulò altius repetere.

4. Summum scil. summæ potestatis Jus est, Jura tueri; quo in ipso Numine nihil divinius aut sanctius est, quodque idipsum est, quo Naturæ Arbiter ex sapientissimæ voluntatis suæ regula, quodam quasi æquilibrio, rerum Universitatem pensat, & veluti trutinâ examinat. Hujus sanctissimi Juris ipse partem Principibus delegavit, eam scil. quâ terram hanc justitiâ regerent, hominumque jura vicariâ quadam Numinis potestate tuerentur.

5. Hanc sacram Juris Justitiæque administrationem duplici potestate Principes exequuntur, aliâ in suos, quæ *Imperium* dicitur; aliâ in extraneos, quæ *Bellum*. Illo fas & æquum inter subditos suos, qui parere jubenti tenentur, imperando moderatur, contumacesque coërcet. Hoc extraneorum, qui imperio ejus non parent, injurias propulsat, & à se suisque summovet.

6. Longè ergò aliud atque aliud duplicis hujus potestatis jus est. Imperium enim est potestas jubendi in eos, qui potestati illi ac imperio subjecti sunt; adeoque parere ei tenentur; datumque est Principi, ut justitiam imperio jusque defendat: non potest autem jus imperare Princeps, nisi quid justum sit, quasi medius inter partes, cognoverit atque statuerit.

Impe-

(8.)

Imperium igitur exercet ut Judex, qui liberâ cognitione de jure inter suos statuit, atque ita justitiam seu jura, quæ non modò divinæ voluntatis idea, sed ipsa DEI voluntas ac justa sunt, quatenus humani generis humanæque societatis gubernationem respiciunt, sacra vice exequitur.

7. Bellum autem est potestas, jus nostrum vindicandi ab extraneis, à quibus imperio, cui subjeti illi non sunt, non possumus. Bellorum igitur, atque in bellis occidendi, vastandi, prædandi jura solâ necessitate rerum nostrarum tuendarum constituuntur, ut Principes, cum per judicem, quem non habent, aut aliter contra extraneos invitos non possint, vi ac armis jura sua concessione Naturæ, vindicent: quæ & Ciceronis ratio est. *Lib. 1. Offic.* Facultas enim defendendi, quæ omnibus hominibus, quin & brutis, à rerum Creatore data est, desineret, si unicum illud remedium, quo solo defensio fieri contra invitos potest, auferretur. Hoc igitur necessario indulgit eadem Natura, quæ illam concessit; & ut vulgò dicitur, dato fine, datur quoque medium, sine quo finis obtineri nequit. Bellum itaque Princeps gerit, non ut Judex, quia in extraneos imperium nullum habet; sed ut pars, & eo jure, quo vel privatis, quando Judicis nulla copia est, nec aliter ipsi possunt, morte adversarii quoque se ac sua defendere, nulla lege prohibente, licet.

8. Omne igitur jus belli hac regulâ definitur; quòd omnia illa in bello licita sint, sine quibus reparatio Juris nostri obtineri nequit. Ideò enim bellum justè geritur, ut jus suum, quod aliter non potest, Princeps recuperet. Hic finis est totius negotii,

(9.)

ti, uti finis cujusque actus & praelii est victoria, quam Imperatori propositam esse non uno loco Cicero refert. *lib. 8. ad. Artic. ep. 11. & in fragm. de republ. lib. 5.* Praeliis itaque victorias, victoriis jus suum tueri ac vindicare Princeps intendit.

9. Hic verò difficultas haut levis Doctores torquet, qui ambigunt, si belli justitia juris nostri repetendi finibus coërcetur, quomodo justa esse possit integrorum regnorum Imperiorumque bellica occupatio pro modico fortè damno. Pro cujus solutione observandum, quòd tum demum Princeps jus suum recuperasse intelligatur, quando quietè ac securè illud tenet; non verò dum illud adhuc oppugnatur ab hoste armato, & lis armorum pendet. Non igitur tuta tranquillaque juris sui possessio est, nisi hostis, qui de eo adhuc controvertit, vel penitus victus & in alterius potestate ita sit, ut resistere amplius non possit, vel pace factà de eo transegerit.

10. Hinc jam manifestum fit, quòd post victoriam, per quam hostis, aut quod hostium est, in victoris potestatem redigitur, desinat jus belli, ac incipiat jus Imperii; illa enim necessitas defensionis, quæ sola justitiam cædium, vestitatum, ac prædationum in bello sustinuit, nunc cessat, cum res jam sit in victoris potestate, adeoque jure Imperii, cui parere victi tenentur, agere potest. Desinit igitur vis, cum judicio, tanquam in subjectos, agere victor potest, neque amplius ut hostis, quid ad vincendum utile, sed ut judex, quid justum sit, decidit.

11. Hinc porrò concluditur, quòd jure belli ante victoriam hosti competat jus interficiendi hostis: non enim adigi hostis ad satisfaciendum potest, nisi

B

viri-

(10.)

viribus, quibus resistit, recisis ac debellatis; quod proinde justum est *per §. 7. sup.* At verò victos captosque occidere non licet: cum enim resistere amplius nequeant, sed sint in potestate victoris, cessat illa necessitas indeque natum jus in bello occidendi, & Imperium in eos, non jus belli exercetur.

12. Unde, licet obsessâ urbe cives promiscuè occidi jure belli possint; capta tamen urbe non possunt, nisi commiserint ut suppliciiis digni videantur: quo tamen casu non ut cum hostibus jure belli, sed ut cum jam subditis, Imperio ita agendum, ut innoxii à noxiis separentur, & hi soli causâ cognitâ ac pro modo delicti puniantur. Id præstitit Senatus Romanus receptâ bello Capuâ quæ ad Hannibalem defecerat: *Severè enim & celeriter in maxime noxios animadversum; multitudinem civium dissipatam in nullam spem reditûs; non sævitum incendiis ruinisque in tecta innoxia murosq; atq; ita res compositas ibi fuisse consilio ab omni parte laudabili narrat & dignis encomiis profequitur Livius lib. 26. Hist. cap. 16.*

13. Hoc Solymanni quoque judicium fuit, cum arcis Budensis præfidiarii Germani, reluctante, & ideò in vincula coniecto, Præfecto suo, Thoma Nadaſto Ungaro, deditionem Turcis sub lege liberè abeundi fecissent: eos enim omnes, cognitâ in Ducem suum perfidiâ, Solymannus Janizeris trucidandos tradidit: uti recenset Paulus Jovius *Histor lib. 28.* factum hoc sævitiae ac immanitatis arguens; *Cur enim inquit, Germani, cum beueficio ipsius peccavissent, & diplomata libertatis obtinuissent, usque adeò crudeli nece multandi videri potuerint, cum ipse Solymannus in eâ alienæ perfidia causâ propriam abrupta fidei notam subiret, &*
quam

(II.)

quam querebat, justitie laudem tam crudeli quam turpi sententia præveteret? At si ex verò rem æstimemus, fatendum, duplicem in hoc negotio Præsidiariorum causam versari, alteram initi cum hoste pacti, alteram commissi in Ducem facinoris; quæ diversissimo jure censerentur: pactum enim inter hostes initum fuit nec ad impediendum jura & criminum pœnas, sed belli vim ac injurias pertinebat; eoque pacto comprehensum erat, ne victor vel jure belli in eos agere, vel ut hostes lædere, vel ut bello captos detinere posset, sed ut eandem illi, quam pace, securitatem haberent. Non verò id actum, ne jure imperii deditioe quæsi, in crimina eorum inquirere, eaque non ut hostis, sed ut dominus aut Judex, punire queat; cum in media quoque pace magistratui id liceat. Sed neque obstaret tale pactum, etsi fuisset, cum non valeat pactum, quo expressa criminum impunitas est promissa: per l. 7. §. 14 ff. de Pact. nedum obstabit pactum, quo alia longè res cautata fuit. Nec incompetens utique Judex Solymanus post deditioem erat, ut Jovius existimare videtur; etsi enim illa deditio non aliter ac lege liberè abeundi facta sit, dum tamen in loco dedito commorari sunt, agi ibi, ubi reperiuntur, de crimine potuit. l. 1. C. Ubi de crim. uti ostendimus in Disput. nostra de plurium loc. concurr. potest. tit. 3. §. 10. Sanè, an tantum pœnam, & quidem omnes æquè meriti fuerint alia quæstio, & facti est; quod huc non pertinet.

14. Victos autem intelligimus, non qui adhuc resistunt, aut, quorum vis adhuc metuitur, (in illos enim nondum victoria, sed pugna est, in cujus discrimine atque ardore spacium non datur exquiren-

B 2

di

di, metusne adhuc ab altero sit, an tutò capi possit) sed qui in plenam hostium potestatem vel exitu prælii vel deditioe purà pervenerunt. Nam & ipse Scipio Africanus, Imperator summus, cum Numantini dedere se vellent, si toleranda Viris imperarentur, veram & sine exceptione victoriam voluit. *Flor. lib. 3. cap. 1.* Unde non adeò improbandum ex ratione juris belli videtur consilium, quod Romani, cum Uipen oppidum oppugnarent, & oppidani servorum decem millia offerrent, liberis autem veniam orarent, ideò id accipere noluerint, quòd tantam multitudinem custodià cingi arduum, adeoque adhuc metuenda esset resistentia, ut refert *Tacitus lib. 12. Annual.*

15. Igitur & nondum dediti, sed deditioem purè offerentes in eadem causa, & recipiendi sunt, cum & in illos nulla amplius sit defensionis necessitas. Impia igitur illa Albani, hominis impii, vox fuit, indignos vità judicantis, quorum mœnia glandium ictibus perrupta jam essent; & cum Prospero Columnio exostulantis, quòd in deditioem eos acceperit. Quantò verò divinius est illud Ciceronis: *Hi, qui armis positis ad Imperatoris fidem confugiunt, quamvis aries murum percusserit, recipiendi sunt, lib. 1. de Offic.* Et aliud magni illius, quem modò diximus, Africani exemplum: Cum enim in Hispania novæ Carthaginis non quassata, sed conscensa jam mœnia essent, & in tota urbe cædes jam passim fierent, nec ulli puerum obvio parceretur, tamen deditioe secutâ statim signo dato cædium finis factus fuit. *Liv. lib. 26. Histor. cap. 48.* Et in prædicta Taciti relatione Romani sævum putârunt deditos trucidare, ideoque reje-
cta

(13.)

Et a deditioe id egerunt, *ut jure belli caderent*; quo ipso inter jus belli & victoriae manifestè distinguitur. Hoc igitur jus, si inter illos gentium mores, quibus servitus in bello ac potestas occidendi servos inter privatos obtinebat, conservatum fuit, hodiè utiq; negligi non debet. Neque excusari sævitia in victos potest ulla ratione, nedum solâ contumaciâ resistendi, ut rectè docet Grot. *lib. 3. cap. 4. § 13.* De talione verò deinceps agemus.

16. Infantium quoq; & fœminarum (quæ belli opere planè abstinent) aliud jus in bello ac post victoriam videtur, sed diversimodè. Olim enim durante consuetudine occidendi impunè servos, plus post victoriam in eos licuit, quippe jam servos: neque juris opinio, sed sola ætatis ac sexûs miseratio nonnunquam eos injuriis bellorum eripuit. At verò jure gentium, etsi ne belli quidem jus in eos exerceri possit, cum nullum momentû viribus hostium afferant, nec belli munia obeant, nec defensio aliqua contra eos allegari possit; tamen minus jure victoriae in eos licet. In bello enim sæpe ita misti Viris sunt, ut parci eis nequeat; atque ita obsessis urbibus eadem necessitas, quæ hostium, etiam illorum cædem, si fortè casus telo eos objiciat, defendit, cum destinatione mitrentium discerni à viris non possint. Nec movet, quòd ipse Deus injunxerit Hebræis, ne vel sexui vel ætati Cananitarum hostium parcerent. Hebræis enim duplex genus bellorum fuit; alterum commune, quod sua autoritate, eodemq; quo aliæ gentes jure gerebant: alterum speciale in septem populos, quod speciali Dei mandato, ejusq; arbitrio gessere: in hoc, non in illo, mandata fuit infantium, fœminarumque

B 3

cædes

(14.)

cædes *Deut.* 20. v. 10. & *seqq.* Late Selden. *de jure gent. lic.* 6. c. 12. & *seqq.* Sich. *de jur. reg. c. 5. th. 16.* ejusq; specialissima causa fuit: Deus enim horum septem populorum terras, ipsis propter idololatricam & maximorum scelerum consuetudinem auferendas, Abrahamo ejusque posteris donaverat, eosque execrationis atq; extirpationis jam condemnauerat. Hujus damnationis sententiam quasi exequendi munus & vindictam Israëlitis, quibus in istum eventum has terras promiserat, Deus injunxit; qui proinde non suum, sed Dei bellum, non ex lubitu, sed & ex formula execrationis, quæ ad mulieres & infantes quoque pertinuit, persecuti sunt. Indeque adeò severe Deus ipsos Hebræos increbavit, sæpe quoque punivit, quando fines mandati sui vel intempestivâ misericordiâ vel alia de causa non impleverunt. Neque tamen hæc in infantibus pœna propriè fuit, sed quasi naturæ calamitas, uti alias infantes quocunque casu, qui verò semper arbitrio divino regitur, occidunt.

17. Ex eo, quod de jure in hominum vitam diximus, colligi potest, quid de bonis aliisque eorum juribus statuendum. Belli enim jure omnia illa, quibus hostium vires alii firmariq; videntur, vastari ac detruï possunt, cum quicquid vires hostium auget, id juris nostri vindicationem impediat. Unde haut abs re quidam statuunt; arbores fructiferas bello excidi posse; voluptuarias & infructuosas non posse. vid *infr.* §. 21. Qua ratione quoque certum fit, quòd armorum lege, quicquid alendo, instruendo habendoque militi collectum paratumque est, totum exuri, consumique liceat; quod verò ad luxum molliciemque, non liceat: tantum enim abest, ut accessionem virium hosti afferat,

rat, ut eas magis atterat atque molliat, uti Hannibalis & Pœnorum animos nihil segniores reddidit, quàm Capuæ delitiæ.

18. At post victoriam, aut cùm jam in potestate nostra occupatumq; est, nihil eorum vastari aut presumdari fas est, quia vires hostium non auget, cùm hostes ampliùs non sint, nec bellum, quod victoriâ in victos desit, tum adhuc instruit. Jam enim jus armorum in jus imperii versum est, ut defendi tanquam à domino ac Principe suo, non vastari ac dirui, ut ab hoste, devictorum res debeant.

19. Frustra verò immodica veterum exemplorum licentia, & recepti omnium gentium mores afferuntur. Nituntur enim ista generali illa populorū consuetudine, quâ bello capti servi fiebant, per quos omnia dominis adquiruntur, ut dicitur *in. d. §. 1. Inst. de his qui sui vel al. l. 1. §. 1. ff. eod.* Et cùm licitum fuerit, privatim quoque & promiscuè servos sine causa occidere, *dict. §. 1. & d. l. 1. §. 1.* quem abusum communis, gentium error in jus haut rectè verterat, non mirum, quòd in bonis eorum omnia permessa fuerint. Hic mos eam sæviendi licentiam, ut diximus §. 2. atque exemplorum frequentiam peperit.

20. Fuère tamen & in communi hoc gentium consensu generosæ mentes, quæ morem eum improbarent. *Partâ victoriâ* inquit Cicero *lib. 1. Offic. conservandi sunt, qui non crudeles in bello nec immanes fuerunt;* in hos enim jure imperii pœnani debitam statui à victore posse, prædiximus *supr. §. 12.* Atq; inde laudat idē Cicero priscos Romanos, qui Tusculanos, Æquos, Volscos, Sabinos, Hernicos in civitatem etiam acceperunt; improbat verò everfam Corinthum. Denique

(16.)

que vox hæc sanctissima ab ipso additur: *In quo tantopere apud Nostros culta justitia est, ut ii, qui civitates aut nationes devictas bello in fidem recipissent, eorum patroni essent more majorum.* Ita judicârunt quoque Romani Capuâ receptâ, idque egregiè Livius commendat, de quo *sup. §. 11.* Atq; ipse tot regum Dux, Agamemnon, Trojam dolet se invito everfam, & *Affligi Phrygas,* inquit, *vinciq; volui; ruere & aquari solo etiam arguissem,* apud Sen. *in Troad. vers. 273. & seqq.*

21. Sed &, quod diximus, §. 17. jure belli & ante victoriam arbores frugiferas &c. excidi vastariq; posse, non continet effrenem licentiam, & ulciscendi libidinem, sed, ut ex allegata ibi ratione sequitur, Juris sui reparandi modum necessarium; uti, si res illæ hostibus fomes atq; incitabulum virium essent, illiq; inde ad resistendum tenaciores fierent: nam si nihil aut parum profunt, aut si in ipsius hostis potestate sint, talem vastationem frugum &c. in bellis prohibitam esse, ipso Dei oraculo proditur. *Deut. 20. v. 19* quam ita restringit Grot. *de J. B. & P. lib. 3. cap. 22. §. 2.* Eamque contra jus belli quoq; esse censuit inclitus ille Palatinorum Achilles, Fridericus Victoriosus, cum triumphatis tribus Principibus, graviter eos ab illata vastitate objurgaret: *Non servasse eos jura belli, nec pepercisse eis, quæ leges bellorum violare prohiberent, ut qui segetes vel temerè conculcatas corrupissent vel incensis exussissent, & molas passim igne delevissent.* ut referunt Carion. *in Chron. lib. 5. p. m. 1030.* Crus. *in Annal. Sved. ad an. 1462.* Lehman. *in Chron. Spir. lib. 7. c. 106.* quæ omnia apprime confirmant principalem nostram rationem, justitiam bellorum necessitate juris nostri tuendi aut vindicandi æstimari.

22. Quæ

22. Quæ devastatione rerum hostilium dicta sunt, an eadem in prædis ex hoste agendis de ratione juris gentium obtineant, magis ambiguum est. Utrique id interest, quòd vastatio vires nostras non augeat, sed hostium saltem imminuat; præda verò & illas foveat & has atterat. Unde vastatio jure belli earum tantum rerum licita est, quibus hostis validior ad oppugnandum ac fidentior redditur; præda verò omnium, quæ utilitatem nobis afferre possunt: etsi enim iis servatis nihil fortè virium hosti accrescat, si tamen rapta nostras vires in bellum nutriant, atq; ad vincendum instruant, utique ad juris nostri recuperationem & victoriam, sine qua extorqueri jus ab hoste nequit, faciunt, indeque jure belli illicita sunt *per §. 2. sup.* Unde secus esse patet, si Princeps, cum compendio & integris hostium rebus vincere possit, perdere eos spoliisque eorum lucupletari malit; quanquam ipsius æstimatio sit, quâ viâ commodius juxta ac tutius & justius bellum gerere possit. Longè itaque laxior in bello est potestas prædandi, quàm vastandi; estque hoc jus illud belli famosissimum usitatisimumque.

23. At post victoriam aliud videtur? An ergo hæc quoque victos jure subditorum censerit, nec ultra id spoliari posse dicemus? Reclamaret omnium gentium ac humani propè generis usus atque consensus. Paulò distinctius itaque hoc exequemur. Et primò quidem certum est, jure victoriæ adquiri plenissimum imperium in victos; etsi enim de eo imperio subactòve principatu nulla fortè lis aut controversia initio belli inter partes fuerit, & victor aliunde jam damni, quod passus dicitur, restitutionem consecutus fuerit, adeoque hoc imperium non videatur ad
 C
 repa-

(18.)

reparationem juris ipsius pertinere, aut in ejus partem venire, tamen pertinet ad juris recuperati, aut qualiscunque extortæ satisfactionis, tuitionem ac securitatem. Non enim possessione sua securus foret victor, nisi victus sub ejus potestate ac imperio esset, sed semper adhuc jure belli resistere & bello quæsitum iterum eripere posset. Quin frustra victor occupasset territorium, si ejus jure ac imperio statim ipsi iterum cedendum esset. Et, cum vincere hic sit in potestatem redigere, sequitur omnino, si jure vicit, quod justa sit ejus in victos potestas. Natura itaque victoriæ & finis belli concedunt victori omne in victos imperium. Sed & posito, quod à victore in victos non ultra quam jure imperii in subditos statui possit, utique imperium saltem in victos ipsi competit, si vi imperii in eos statuere potest. Et aliàs post victoriam semper bellum maneret, nisi per eam alter alteri tandem subjiceretur.

24. Sub imperio autem, quod victor acquirit, comprehendimus omnia illa, quæ juris publici sunt & ad ipsam civitatem, non ad singulos pertinent; adeoque & nomina civitatis. Et hæc ergo publica jura indubie victori adquiruntur, sive hostis prælio, sive deditioe in ejus potestatem pervenerit.

25. Quantum verò ad res singulorum, illa quidem, quæ ex commisso prælii victoria in castris hostium obtinentur, itidem victoris esse tenendum est; quia pugnanti & resistenti potius quam victo eripiuntur, uti alia præda quæ in bello capitur. Eapropter ille actus, quo prælio vincitur, & per quem præda ista vincendo, non occupando demum, acquiritur, ad bellum adhuc pertinet, & jure belli continetur; inprimis

mis cum in illo actu hostis adhuc occidi possit, adeoque, etsi pulsus fugam vitæ suæ consulit, reliqua tamen hosti relinquit. Et sanè, cum victor ultra juris ablati repetitionem, aut satisfactionem pro injuria, etiam impensas belli, damna bello data, aliaque similia, quorum rationes ut plurimum in bellis in immensum crescunt, computare, atque à victo exigere possit, utique quæsitam victoriis prædam saltem in rationum suarum partem retinere, indeque pro debito suo sibi satisfacere potest.

26. Sequitur ergo, in quo præcipuum causæ momentum vertitur, si victoris rationes sibi constent, iisque omnia, quæ ipsi absunt, quæque ipsi deberi modò diximus, ex prædis hostium receperit, an ulterius adhuc victos spoliare, aut captas urbes diripere solius prædæ causâ liceat? Sane pro ejus rei defensione satis idoneum juris gentium argumentum non occurrit, sed ratio potius & æquitas in contrarium esse videtur, quòd, cui nihil amplius abest, is nihil quoque amplius exigere possit; &, qui suum jam consecutus est, iterum aliquid petere nequeat: non potest enim non esse injuria, quod ultra jus est, ex definitione *l. 1. §. 1. ff. de Injur.* & nota vocis appellatione. Atque hoc gentium jus graviter defendit, & antiquissimis moribus apud Romanos obtinuisse scribit Salustius *in bell. Catilin. circa princ. Majores*, inquit, *nostri, religiosissimi mortales, delubra Deorum pietate, domos suas gloriâ decorabant, neque quicquam victis eripiebant præter injuriæ licentiam.* Quo verborum compendio omnia ferè, quæ de finibus juris bellicî diximus, continentur. Abusum autem exuendi victos rebus suis, à militibus Sullanis demum cœpisse testatur, maxime-

(20.)

que improbat idem Salust. d. l. *At hi contra* (de Sullæ militibus inquit) *ignavissimi homines , per summam scelus , omnia ea Sociis adimere , qua fortissimi Viri victores hostibus reliquerunt ; proinde , quasi injuriam facere id demum esset imperio uti . Et paulò ante dixerat : Igitur hi milites , postquam victoriam adepti sunt , nihil reliqui victis fecere .* Add. § 32.

27. Neque in contrarium allegari possunt omnium propè gentium exempla , quibus refertæ sunt omnium ætatum historiæ. Quò jure enim illa nitantur jam diximus , servitute scil. & , quæ in illa obtinuit , occidendi acquirendique omnia , quæ servorum sunt , licentiâ.

28. Videtur quidem , quòd victor victo causam tot cædium fusique humani sangvinis imputare , eoque nomine & in ipsum & in subditos porrò sævire possit. Verùm ratio hæc reciproca seu mutua est ; & uterque pari omnino jure in bellum processit . Neque ob hoc solum , quod summus Princeps bellum jure suo gessit , victus postea pœnam vel judicium , ejus inprimis , cum quo lis fuit , subire cogitur ; tantùm abest , ut in subditos , quos necessitas parendi adstrinxit , ideò animadverti queat. Hinc inter ea , quæ in Julii Cæsaris gestis reprehensa sunt , refert Svetonius *in Julio , cap. 54. quòd oppida quedam , qua se submitterent , hostiliter diripuerit .* Quanquam hic ipse Cæsar aliàs tam sedulò id caverit , ut , cum Corfinii oppidi cives parati essent portas ipsi aperire , ille id non admisserit , sed in alium diem eos rejecerit , *Veritus* (ut ipse ait) *ne militum introitu , & nocturni temporis licentiâ oppidum diriperetur .* Cæs. *Comment. de Bell. Civ. lib. 1.* Quod si denique victor jus quoddam pœnæ haberet , omnino illa

nò illa pro ratione debiti, quod non semper idem est, vi Imperii constituenda, non verò ideo infinitum illimitatumque jus promiscuæ prædæ concessum esset.

29. Duplici equidem casu jure victoriæ æquè ac jure belli eripi omnia, vel saltem ultra ejus, quod nobis abest, limites victis esse fatemur. Primum quando ultra belli gestionem aliquid commisere, fortè perfidiâ, rebellione, defectione &c. Ejus enim vindicta planè ad jus Imperii, quod victor adquisivit, adeò spectat, ut ideo autores victi non bonis modò, sed vitâ orbari possint, uti in Capuanos defectores à Senatu Romano severè consultum suprâ diximus. Hoc innuit quoque Svetonius *dict. loc.* cum improbat, quod *Cesar urbes diruerit, sapius ob prædam, quam NB. ob delictum.* Quo luculenter jus illud victoriæ, quod diximus, proponitur: nam & direptio ob delictum saltem, non prædam ibi probatur; & pœna delicti à jure prædæ distinguitur; atque adeò id ipsum quod probavimus, dicitur, victis, nisi quid delinquerint, in prædam omnia auferri non posse.

30. Deinde diripi victi possunt jure talionis, si apud illos direptio devictorum pro jure obtinet, uti apud Mahumedanos, aliosque Barbaros; in quos proinde vi victoriæ idem jus summa æquitate statui potest, quo illi in alios utuntur; ut alibi ostendimus. Atque hanc causam esse puto ejus juris, quod à DEO Israëlitis datum est, *Deut. 20. v. 13. 14.* ut capta urbe, quæ non est è septem populis, de quibus *supr. §. 16.* omnes masculos gladio interficiant, reliqua omnia in prædam capiant, eamque à DEO sibi concessam percipiant: is enim mos apud reliquas gentes tunc obtinuit. Etsi autem instar præcepti interfectio & deprædatio ibi in-

jungatur, Judæorum tamen Dd. per hæc verba non præceptum, sed licentiam occidendi tantum intelligunt; Seld. *de Jur. Gent. lib. 6. cap. 13. & 16.* quod nos de aliis gentibus, præter septem populos & Amelecitas, verissimum putamus, antiquissimo legum, quæ imperativè scribi solebant, ritu ac stylo: ita in XII. rabb. dicitur: *Aggnatus proximus familiam habeto.* Ita talionis quoq; exempla in bello tricennali extitere, ut capta urbe, cum victor veniam (*Quartier*) negaverat, altera pars, expugnata aliâ urbe, eodem jure usa sit, & omnes sine venia cæsi. Sed ab nostræ ætatis exemplis nunc abstinemus.

31. Ex dictis patet *primò*, Jure belli prædam in infinitum capi posse, eamque semel ritè partam post victoriam quoque retineri, quia bello jus suum Princeps victoriamque obtinere nequit, nisi viribus hostium accisis, suisve firmatis. *Deinde*, Jure victoriæ hæc adquiri: 1. Imperium plenissimum in victos, ex natura victoriæ: §. 23. *sup.* nec quicquam ea movent, quæ de Imperio victis relinquendo vel communicando habet Grot. *Lib. 3. cap. 15.* quippe quæ meræ humanitatis ac generositatis, non juris sunt, adeoque huc non pertinent. 2. Quæ victoriâ ex prælio partâ in castris atque exercitu hostium reperiuntur: ille enim actus pars adhuc & seqvela belli est. §. 26. *sup.* 3. Si ex spoliis hostium jus suum integrum cum impensis belli nondum consecutus est, jure imperii, & ut dominus, exigere reliquum potest: sed & milites, pecuniam, frumentum &c. in alios belli vel reipubl. usus imperare, quod Romanos, præsertim veteres, passim factitasse legimus. 4. Ex causa delictorum quoque in victos, itidem vi imperii, statuere. Deniq; 5. Jus talionis, secundum quod diximus, in eos exercere,

(23.)

32. Diverſo igitur jure cenſentur illa, quæ in caſtris aut in exercitu hoſtium reperiuntur, & illa, quæ obſeſſâ urbe civium ſunt: illa enim hoc ipſo, quòd hoſtis fugatus eſt, ſine alia occupatione in poteſtate victoris relicta, & fugâ hoſtium deſerta ſunt; eaque omnia eorum fuerunt, qui contra in acie ſteterunt, & occidi poterant; ut omninò in eas res jus belli adhuc obtineat. Hæc verò non cenſentur hoc ipſo capta, quod urbs capitur, ſed manent in poteſtate & cuſtodia civium, niſi ſeoriſim occupentur; quæ nova occupatio non ampliùs jure belli fieri poteſt, quia urbs jam capta, & in poteſtate eſt; ſed jure imperii, quo verò non ſpoliantur ſed defenduntur cives, niſi ex cauſa delicti, vel ſi quid juris victori adhuc abeſt, aliisve juſtis ex cauſis, ut diximus §. 25. Sed nec, ut hoſtes in prælio, ita cives capto oppido, niſi adhuc reſiſtant, occidi poſſunt. Neque deſeruntur bona civium, cum oppidum occupatur, uti cum acie hoſtis vincitur: illi enim in cuſtodia rerum ſuarum manent; hic auſſugit. Neque denique in oppido res tantum virorum, ſed mixti quoque infantes, fœminæ, aliique ſunt, in quos regulariter jus victoris, ut dictum, exerceri nequit.

33. Hinc evidens eſt decifio litis celebratiſſimæ, & à Quintiliano *Inſtit. Orat. lib. 5. cap. 10. pag. m. 236.* propoſitæ, quæ ex facto duorum maximorum toto orbe Imperatorum, Alexandri Magni, & Julii Cæſaris, contigit; quorum ille Thebarum chirographum Theſſalis, hic Flavii nomen Dyrrachinis poſt victoriam donavit. Prior cauſa in celeberrimo illo totius Græciæ, Amphycionum ſcil. conſilio; altera coram Cicerone arbitro ventilata fertur. Dicimus Alexandri Magni

Magni donationem justam, Cæsaris irritam fuisse, uti & decisum opinatur *Ærodius Rer. jud. lib. 2. tit. 3. cap. 2. & 3.* Illa enim debitum publicum fuit, quod victori quæritur *per §. 24.* hoc privatum, quod ei non quæritur *per §. 26.* Agitârunt quoque inter se hanc litem *Hottomannus & Gentilis*, sed, præsertim ille, ex rationibus juris civilis, ex *Quintiliano* descriptis, quasi *Alexandri Magni* factum ex legibus Romanis decidi possit: nec aliud *Quintil.* quàm loca argumentorum, ut *Orator*, monstrare voluit. Revera autem frivolæ rationes sunt, quòd nomen sit res incorporalis, quæ manu non capitur, & alia ratio sit heredis, in quem jus omne defuncti, alia victoris, in quem res transeant &c. Nam victoria, quatenus vel solum imperium continet, titulus longè universalior est, quàm hereditas: uti enim hæc omnia jura privata, ita imperium omnia publica, & suo modo privata quoque continet. *§. 24. & 26.* Illa verò repræsentatio heredis universalis, uti ab *Hottom.* accipitur, fictio juris positivi est. Ut vel ex hoc facto appareat, quàm infeliciter sæpe jus civile quæstionibus juris gentium applicetur. Nam & reliqua, contra hoc *Alexand. M.* facinus allata, scil. *quòd vi ablatum: quòd jus belli in judiciis non valeat: jus postliminii: quòd omnibus civibus debitum, adeoque dum vel unus supersit: quòd omnes in manu Alexandri M. non fuerint: quòd multis ignoverit: mens ejus dubia: quòd à Casandro restituti Thebani &c.* adeò præter vel contra jus gentium sunt, ut responsum non mereantur.

34. Denique, quod apud Romanos traditur, quæ ab hostibus capiuntur, jure gentium statim capientium fieri, *l. 5. §. ult. ff. de A. R. D.* non de vero gentium jure

jure, de quo agimus; sed de eo, quod positivum vocant, & ut civile, mutari potest, dicitur; eique valde adversatur, quod Duces Romanorum omnem ex victoria prædam regulariter fisco reservaverint. Quæ difficultas prolixo tractatu Grotium involvit. *Lib. 3. c. 6. per tot.* at brevissimè resolvi potest; aliud enim est in iis, quæ in bello ex hostibus capiuntur à militibus, de quibus *d. §. ult.* aliud in iis, quæ ipso jure victoriæ acquiruntur, & ad ipsum Principem, ad quem victoria, pertinent, nisi ex liberalitate quædam inde militibus dividantur. At ex vero Jure Gentium omnis præda Principis est; ille enim bellum per milites gerit, & ad illum omnia belli jura pertinent; milites verò instrumenta saltem sunt, per quæ acquirit. De quo a libi plura.

35. Multa equidem dicenda de hac materia nobili restant, quæ nimis longum foret persequi. Pauca saltem adhuc, quæ ex jure gentium disputata sunt, aut disputari possunt, addam breviter, & quasi CON-
SECTARIA.

I. *Romani in nobili illa ad lacum Thrasymenum pugna absente Annibale ea lege se Maharbali, ejus legato, dediderant, ut cum singulis vestimentis abire liceret, Annibal legem deditiois sine consensu suo non valere causatur & in vincula eos conjicit, narrante Liv. Lib. 2. cap. 6.* An rectè? Resp. Videndum, quid commissum Maharbali fuerit, quo continetur, sine quo expediri negotium non potuit. Legati enim ad præscriptum agunt: ut verè ait Cæsar *Lib. 3. de bell. civ. p. m. 271.* Utut autem sit, culpa id Legati, non Romanorum fuit, in quos Annibal nihil juris nisi ex deditioe habuit. Si ergo deditio non valuit, nec jus ejus in deditos valuit, sed illi in pri-
D stinum

stinum statum restituendi fuerunt, quod in simili casu à Romanis factum.

2. *Cum Rex bello capitur, ut Joannes, Rex Cypri, à Genuensibus, an pacta captivi rata sint, saepius & aliquando in summo Parisiorum Senatu agitatum fuit: in cujus Præsidentem, qui id negârat, & Zabarellam citârat, ita Bodinus invehitur: Miror ego, non erubuisse Principem tanti Senatûs, non modò juris fœcialis imperitum hominem (Zabarellam) testem laudare, sed ejus etiam ineptis argumentis se munire.* Olim jus servitutis bello obtinuisse diximus; *Syphax* (inquit Scipio apud Liv. Lib. 30. cap. 19.) *P. R. auspiciis victus captusque est. Itaque ipse, conjux, ager, &c. qui quid denique Syphacis fuit, præda P. R. est.* Hodie verò liber & Rex manet, & precio redimi potest. Si igitur Rex absolutus partem aut jus aliquod regni promittit pro precio redemptionis suæ, non nisi, ut sponsio valet; si pro pace regni, & ejus utilitas id postulet, etiam ut fœdus.

3. Paulus Jovius hanc speciem exhibet: *Cùm Galli in bello Neapolitano in Averso urbe, mortifere vulnerato Duce, murisque tormentorum ut jam concussis, Guidonem Rangonum ad hostes mitterent, ut honestis conditionibus tractaret, interim, dum ille apud hostes est, urbs sine conditione, necessitate urgente, deditur, disputat cum Rangone Vastius, hostium Dux, an, etsi Legatus, jure belli captivus esset?* JOV. Lib. 26. *Histor.* Resp. Capta urbe jus Legati mittendi, adeoque & securitatem ejus extinctam fuisse.

4. Quæsitum quoque fuit; *Cùm Dux belli Marchioni Masseranensi securitatem dedisset abeundi Venettas, ille verò dum iter parat, & priusquam proficiscitur, bello caperetur, an jure captus esset?* Speciem hanc exhibet Petrinus Bellus *Part. 3. de re mil. tit. 1. num. 15.* qui, cùm ipse
unâ

unā cum aliis in hac causa iudex constitutus fuerit, litem tamen indecisam, & iudicium aliis relinquit. Dicimus securitatem eam concessam ad eundem Venetias, non ad commorandum domi, & commeatum ad iter, non inducias domi datas fuisse.

5. Quæsitum quoque, *An miles ante pacem dimissus pace facta capi possit?* Resp. Hostem esse, qui jus belli habet, aut habenti id militat. l. 24. ff. de re mil. In proposito igitur nec hostem eum nec bellum esse, adeoque capi illum non posse, nisi ob damna bello data, si absq; amnestia pax facta fuerit.

6. Alciatus talem speciem affert: *Carolus Siculorum Rex cum Petro Aragonense convenerat, ut Burdegala 100. equitibus de regno decertarent, & condita die comparet, sed ante solis occasum cum Iudice campi recessit. Post ejus discessum advenit Petrus, & cum hostem non inveniret, victorem se asserit. Martinus Papa alium diem constituit, quo Petrus venire recusat; quæsitum, an regnum amisisse videatur?* Alciat. *Lib. de singul. certam. cap. 41.* Resp. Rem liberæ conventionis, adeoque ejus lege vel conditione non impleta, nihil actum fuisse; itaque solum jus belli inter partes superesse.

7. *Balionius ea lege dimissus ab Hispanis fuit, ut Carvajalius à Gallis captus vice mutua restitueretur. Hunc, antequam traderetur, mortuum fuisse ait Mariana de Reb. Hispan. lib. 30.* Paruta verò, Gvicciardinus, Jovius & alii, *deductum eum ad Hispanos, quousque potuerit, & inter moras recipiendi mortuum fuisse referunt. Gentilis Lib. 2. de re mil. cap. 15.* Balionium absolvit, ex fictione illa juris civilis in l. 37. ff. de Reg. Jur. Grotius de J. Bell. & P. Lib. 3. cap. 21. §. ult. consentit in actu liberali; in oneroso æstimationem saltem deberi putat, quæ tamen nulla est,

si nullum debitum sit. Nos in terminis, quos recenset Mariana, satisfactu negamus, quos reliqui, asterimus; quia suum factum præstitit Balionius: receptio verò non ejus, sed Hispanorum factum fuit.

8. Quæritur denique, An præfectus præsidii, & quando dedere se possit? Resp. Teneri eum ad diligentiam exactissimam, adeoq; quando nulla amplius spes aut facultas defendendi est. Si ergò antè se dedit, culpa est, quæ à Principe suo puniri potest; si ne tunc quidem, contumacia est, quæ à Victore, qui tamen ex generositate sæpiùs condonare eam solet.

COROLLARIA

Dni Defendentis.

I.

Concessus fuit *salvus conductus* T. & M. *veniendi ad civitatem Astensem (in confinibus ferè Montisferati & Pedemontii sitam) cum 100. equis & totidem personis, armis, bonis & arnesis (id est suppellectili) absque impedimento reali vel personali, quibuscunque processibus, bannis & condemnationibus non obstantibus &c. modo alter istorum misit uxorem suam ad civitatem Astensem cum armis & arnesis, quæ res fuerunt ablata & arrestata, non obstante dicto salvo*

(29.)

salvo conductu & securitate. Queritur an rectè? Hanc spèciem totidem verbis exhibet Baldus l. 5. Confil. 408. Incip. Concessus fuit &c. & ex rationibus juris civilis (ut solent illi Doctores, ceu Grot. in Proleg. queritur & vehementer improbat) illud negat. Nos verò jure gentium Affirm. cum Grotio.

II.

An filius fideicommisso gravatus duas detrabere quartas possit, legitimam nimirum quâ filius, & Trebellianicam, quâ gravatus est? Sunt, qui affirmant; Sunt, qui negant. Nobis verò affirmantium sententiam de Jure Can. amplecti placet, et si usus fori eam limitet.

III.

Legatum rectè definitur, donatio quedam à defuncto relicta ab herede prestanda.

IV.

Fructus rei legate ante aditam hereditatem percepti non ad legatarium, sed ad heredem pertinent.

V.

Fœmina in codicillis testes esse possunt.

VI.

Jusjurandum judiciale, sententiâ licet secuta,

D 3

cuta,

(30.)

cutâ, ob instrumenta noviter reperta retra-
Etari potest.

VII.

Furtum etiam facit, qui, extrema neces-
sitate urgente, rem alienam aufert.

VIII.

Procurator omnium bonorum alienare
potest.



BElgium, ingeniis potens & armis,
Terrâ duplicat & mari triumphos.
Te natale solum trahit sequacem,
Belgî progenies, cietque pectus
Quæ sint bellica cientque jura,
Nec privam modò farier Themistam.
Privatim hæc benè publiceque cedant!

Ita gratulaturus accinit

PRÆSES.



DUm suscipis de juribus VICTORIÆ
Pugnam, WELINGI, mentis imperter-
ritæ
Doctæque Vires adprobas En! Thespiis
Nostris.



(31.)

Noftris. Palæſtram ergo favente NUMINE
Conſcende, docto & ore fuſis cōpiis,
Descende, VICTOR. Poſt ovans VICTORIÆ
Capeſſe jura, quæ Themis Vincentibus
Indulget, ut ſit clara VICTRIX Gloria.

Paucula hæcce Honori

Nobiliffimi atque Doctiffimi DN. JOANNIS

*WELINGI, J. U. C. Digniffimi, ὁμοίως ſuis
dilectiffimi, gratulabundus*

Prof.

JOH. LAURENTIUS CROLLIUS,

Prof. Publ.

JOANNES WELINGI

Anagr.

VIVE IN ANNOS LEGI.

Perſonat ad Nicrum tuus hic de lege trium-
phus,

Qui tibi certanti digna palæſtra fuit,

Et gaudent natale ſolum, patriique penates,

Et ridet nato ſydere GRETHA novo

VIVE ergo LEGI, patriæ GRETHÆQ, ſaluti

IN multos ANNOS proſpice, vive, fave.

Prænobiliſſimo Domino JOANNI WELINGIO,

*J. U. C. Digniffimo, Commenſali & amico ſuo cha-
riſſimo, apprecari voluit*

CHRISTOPHORUS BERNHARDUS HAM,

Westphalus.

Gran-

(32.)

GRande decus gignit victoria parta periclis
Victorique amplas sæpius addit opes.
Et tibi vincenti lingvâ victrice dabuntur
Divitiæ spoli, sed sine cæde, boni.
Vicisti studiis, alacri quoque vincito lingvâ
Nobile post nomen tunc Themis addet opes.

*Nobilissimo atq; Politissimo Domino JOANNI
WELINGIO, J. II. Candidato dignissimo,
amico suo integerrimo,*


gratulabundus deproperabat


F. S. HILMER.

Non laudes decanto tuas, svavisime ami-
ce,
Nec cupis: ipse paras publica signa dare.
I, felix, faustus, comes est Themis alma; beabit
Tunc modo si pergas, nomen Apollo tuum.

Ita posuit

A. STAELS, Frisus Orientalis,





ULB Halle

3

002 703 793



Sb.

V077





B.I.G.

Farbkarte #13

GENTIUM,

Pa. 4. mm. 18.

FORIÆ
E BELL, 1685, 3

20

orum Ordinis
idelbergensi,

COCCEJO,
EBERRIMO,
LECTORALIS PALA-
HEIDELBERGENSI
IS GENT. P. P.

ELECTORIS BRAN-
CULTATIS JURIDI-
DECANO,
MDCLXXXV.

ini submitit
EHLING,

entalis,

ISTOPHORI ZEITLERI,
CIL.

